Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

620

laborum caritativa stipendia. Nulla ad fenestram accedit loquendi gratia, non a magistra accepta licentia, non abbatem ad se videant, cui soli ut filie patri loqui audeant. Sunt inter eas certe persone designate maturiori etate, que ad fenestram loquentium assint audientie, in quorumlibet advenientium sive spiritalium sive secularium amicorum salutatione. Hunc ergo discipline ordinem sancto spiritui discipline ut credo placentem a primo fundatore monasterii sui constitutum diligenter observant, et cum multa super adiciant, pauca immo nulla districtionis iura relaxant. Unde non quecumque inter eas de hac vita subtrahuntur in magna securitate moriuntur, nec immerito, quippe que cottidie propter Christum sicut oves occisionis ieiuniis, vigiliis, et spontaneis flagellis mortificantur. Mortue in monasterio suo per noctem conservantur, et a reliquis sororibus summo studio exequie die noctuque celebrantur. Facto mane missa defunctorum pro defuncta apud sorores celebratur, eaque peracta, conventu monachorum et fratrum religiosa frequentia adveniente, funus de ecclesia sororum ad monasterium fratrum venerabiliter transportatur. Hoc autem responsorium in exportatione funeris a conventu fratrum inchoatur, quod numquam sine multis sororum lacrimis decantatur: Quomodo confitebor tibi domine deus meus quando veneris in iudicio tuo, quia cor meum mundum non custodivi, animam meam in carne positam pollui, templum corporis mei de opere iniquitatis coinquinavi. Precor te domine antequam discutias me miserere mei. V. Tibi soli peccavi domine, miserere mei. Sic fratres susceptum funus studiosissime procurant, et celebratis missarum sollempniis et consuetis exequiis in communi cimiterio officiosissime terre commendant, ubi ex una parte fratrum sepultura, ex alia sororum est designata. Qualiscumque sit illa dies, pro defuncta sorore omnes tam sorores quam monachi et fratres cum multa devotione flagella suscipiunt, idemque pro monacho

vel fratre defuncto communiter omnes faciunt. Similiter cum obitus fratris appropinquare per tabulam nunciatur, a sororibus ad ecclesiam festinatur, eique transitus divine pietati intentissime commendatur. Cum ergo his atque aliis multis spiritalis vite commodis se sorores religiosissime privari pertimescerent, si eas flammarum incendia de quiete sui monasterii exturbarent, quanti putamus in earum cordibus amaritudinum et dolorum fluctus se versarent? Sed hoc audivit filius dei gemitum compeditorum et solvit filias interemptorum. Factum est autem istud incendium lugubre Admuntensis monasterii V. idus MARCII, qua nocte sequenti instabat festum BEATI GREGORII. Transacto itaque tante desolationis infortunio, ABBAS habito cum senioribus consilio statuit secum omnes retinere in loco, ne si huc et illuc disseminarentur, animarum suarum pericula fortasse paterentur. In domum ergo hospitum se omnes contulerunt, ibique quomodo melius poterant, sicut et in monasterio soliti erant, ordinem suum in divino servicio et in silentio et in ceteris omnibus servare decreverunt. Diversi forsitan diversa loquuntur, et cum inscrutabilia esse dei iudicia apostolus protestetur, ipsi divinorum iudiciorum scrutatores esse moliuntur. Sed nimiam negligentiam vel superbiam tante desolationis forsitan non verentur asserere causam, et super divine castigationis plagam suarum linguarum addunt percussuram. Ceterum si quis spiritalis propositi conscius et amator ante incendii excidium illius monasterii statum vidisset, quantus in divino servicio fervor die noctuque flagraret, quanta inter se invicem continentia et humilitate decertarent, hoc profecto de eis iudicium dare non dubitaret, quod ad usum se leviathan suscitassent, et instar beati IOB temptatoris manibus non ad condempnationem sed ad probationem traditi fuissent. Id alii sentiant nescio, ego unum scio, quia qui prius continentie operam dabant et humilitati, cincti flagello dei magis magisque continentie et humilitatis decore sunt compositi, quoniam iuxta apostoli testimonium diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. Sed iam tempus est ut ad expositionis nostre ordinem redeamus. SEQUITUR.